

propter nonne scelus esset et quidem grave illa permutare illorumque Ordinem pro arbitrio pervertere, praecipue, cum illa quoque, quae secundi Ordinis dici possunt, exemplo et auctoritatibus sanctorum patrum totque Romanorum Pontificum legibus ac decretis fuerint comprobata? Soli etenim Christo et Romano Pontifici, cui regimen sponsae ejus commissum est, potestatem et jurisdictionem vestium varietatibus Ecclesiam secundum beneplacitum et ad cultum sponsi ejus datum esse manifeste apparet; inter quos Paulus Papa V., cujus Bullae verba placet hic recensere in fronte *Ritual. Rom.* impressae: Quapropter hortamur in Domino Ven. Fratres universos ubique locorum existentes et alios, ad quos spectat, ut imposterum tamquam Ecclesiae Romanae filii, ejusdem Ecclesiae omnium Matris et Magistrae auctoritate, constituto Rituali in sacris functionibus utantur et in re tanti momenti, quae Catholica Ecclesia et ab ea probatus usus antiquitatis statuit, *inviolata observent.* Et in fidei professione ab emittente Ritus Ecclesiasticos, modum et formam servare Deo vovetur ac promittitur.

Ex quo neminem inficiari posse videtur, sacros Ritus ab Ecclesia Dei institutos, sine labe et quidem gravi immutari posse ac variari nisi fortassis aut variatio esset tam levis, quod cum culpa gravi conjungi non posset, aut id cum ignorantia invincibili sibi licitum esse putaret, quod rarissime tamen posset contingere, sacrorum etenim Rituum cognitio dispensationem haud patitur praecipue in illis, quae ad proprium cujusque Ordinem et Officium pertinent.

Sed quia doctores praecipue moralistae dictos Ritus non adamussim observantes aut ab omni labe excusant, aut saltem quamplures a culpa gravi immunes agnoscunt, placet hic pecu-

liarem sermonem breviter instituere. Concordant enim praefati auctores nobiscum loquendo de sacris Ritibus ac Caeremoniis, quae ad substantiam Sacramentorum vel aliarum functionum ecclesiasticarum pertinent, sine gravi labe immutari non posse; non tamen eodem modo loquuntur, ubi de illis, qui ad melius esse sive solemnitatem conferunt, ac ipso quaestionis initio, distinctionem, nescio tamen an rationibus fulcitam, praeseferunt. Dividunt enim, proprio crederem Marte, in praecipuas et directivas; primas sub gravi obligare concedunt, secus vero secundas; in qua sententia sunt Fagundez et alii plures, quibus novissime Gavantus accessit. Quam secundam distinctionis partem, quomodo sustinere possit, non video; nam ut supra notavi in *Bulla Ritual. Rom.* praecipitur per haec verba: *Inviolata observent*, et in Bullis Pii Papae V. in fronte Breviarii et Missalis Romani impressis, legitur post rejectionem priorum Rituum ac Caeremoniarum sic: „*Ac huic Missali nostro nuper edito nihil unquam addendum, detrahendum aut immutandum esse sub indignationis nostrae poena hac nostra perpetuo valitura Constitutione statuimus et ordinamus. Mandantes ac districte omnibus in virtute sanctae obedientiae praecipientes*“ etc. Ex quo manifeste apparet praedictam auctorum distinctionem omnino corruere ac rubricae Ritus ac Caeremoniae in sacris functionibus a Sancta Romana Ecclesia statuta et ordinatae ab omnibus cujuscumque gradus et dignitatis existant sub culpa gravi esse peragenda et observanda; unde Conc. Trid. can. 13. 7. sess. inquit: si quis dixerit receptos et approbatos Ecclesiae Catholicae Ritus in solemnibus Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni aut sine peccato a Ministro pro libito omitti aut in novos alios per quemcumque ecclesiarum

pastorem mulari posse, anathema sit. Idem Conc. sess. 22. can. 7. ait: si quis dixerit Caeremonias, vestes et externa signa, quibus in Missarum celebratione Ecclesia Catholica utitur, irritabilia impietatis esse magis quam Officia pietatis, anathema sit. Omnis igitur immutatio et variatio Sacrorum Rituum ac Caeremoniarum dicet aliquis, erit grave et lethale peccatum? Cui dubio ut satisfiat, paucis me expediam supponendo,

*Primo:* Quod est certum apud omnes doctores, in qualibet materia peccaminosa, excepta venerea, materiam gravem et levem, juxta quam grave vel leve peccatum committitur, esse reperibilem;

*Secundo:* Inadvertentiam et ignorantiam facti vel juris hancque vincibilem vel invincibilem;

*Tertio:* Casum necessitatis, in quo immo necesse est Ritus ecclesiasticos immutare illorumque Ordinem pervertere, ut habeatur intentus et finis Sacramenti ac proximorum indigentiae quisque subvenire possit et valeat, v. g. in baptismo infanti moribundo conferendo, in quo solemnitates ecclesiasticae caeterique Ritus necesse est praetermittere ac variare; in Sacramento extremae unctionis et aliis necessitatis casibus, ad quos pia mater Ecclesia suas leges et praecepta nunquam intellexit extendere.

His suppositis ac praenotatis, nemo me adeo rigidum existimet, quod negare audeam, quod, si variatio aut immutatio Sacrorum Rituum et Caeremoniarum levis sit, v. g. manus ante sacrificium Missae non abluere, profunde se inclinare, cum secus peragendum esse statutum sit, laudes ante matutinum recitare et similia, cum gravi culpa non posse conjungi, nisi tamen hujusmodi variatio ac immutatio cum

propria pervicacitate et spreto esset conjuncta, immo nec paulum gravior immutatio, quam inadvertentia comitetur, mortale peccatum erit. Caeterum Sacros Ritus immutare, tot Angelici Praeceptoris fundamentis, cujus doctrina semper est magnae auctoritatis, sed maxime in Conciliis, Sanct. Patrum ac summorum Pontificum auctoritatibus nec non rationibus supra recensitis atque congestis, lethale esse nullique prorsus licere manifestum est vixque in dubium revocari res patitur; ignorantia enim, quod praecipuum obex videri potest, quaecumque illa sit, ut supra innui, in hac materia rarissime et fortassis numquam, talis esse potest, ut a gravi culpa valeat excusare quisque enim sub gravi tenetur scire, quae sui Ordinis sunt propriique Officii Ritus ac Caeremonias, omnino mente tenere, ut illa adamussim observet.

Quibus de causis, si mihi Sanctitas Vestra dubio proposito in hoc Concilio Romano: *Utrum Ritus ab Ecclesia praescripti sine culpa gravi possint variari?* respondere permittat, essem in voto: decernendum, definiendum ac statuendum esse: omnes et singulas Ecclesias illarumque ministros non aliis Ritibus, quam ab Ecclesia Sancta Romana approbatis atque praescriptis, uti posse neve illos ullo umquam modo pervertere ac immutare ulli, cujuscumque sit gradus, conditionis ac dignitatis, licere et illos praeterire pestiferum esse, ut ait Div. Thom., nisi tamen peculiaribus Sanctae Romanae Ecclesiae legibus atque decretis essent exempti illorumque Ritus ac Caeremoniae ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae decretis sanctionibus comprobarentur. Ita censeo, si Sanctitati Vestrae placuerit.

Fr. Gregorius Selli, Ord. Praed.  
S. P. Ap. Magister.



*De obligatione servandi sacros Ritus Votum Raphaelis Cosmi de Hieronymis Sac. Congr. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae Secretarii et theologi Concilii Romani.*

Beatissime Pater.

Quae ad inducendam gravem obligationem maxime conferunt, rei dignitas, legum auctoritas satis superque demonstrant, sacras rubricas gravem obligationem inducere. Quanta etenim sit Sac. Rituum majestas, quantum ex illis decoris atque ornamenti Ecclesiae accedat, quam magna ex illis in christianam rempublicam utilitas derivetur, nemo est qui non videat: divina mysteria Sac. Ritibus veluti vocibus explicantur. Deum Optimum Maximum recte colere mortales homines Sac. Ritibus edocemur.

Quod autem leges attinet, s. Pius V. constit. 106. praeservatis dumtaxat illis rubricis, quae per bis centum annos usu ante receptae fuerant, rubricas Missalis servari districte praecepit; Summus Pontifex Clemens VIII. constit. 38. Pontificalis Romani observantiam demandavit; idem statuit de Caeremoniali Episcoporum constit. 89.; quod subinde etiam decrevit S. M. Innocent. X. constit. 42. Idem de Rituali praecepit Paulus V. constit. 85. et Sac. Conc. Trid. asserentibus in administratione Sacramentorum Sacros Ritus ab Ecclesia receptos pro libito a quocumque mutari posse anathema dixit.

Ex quibus gravem ex genere suo obligationem oriri ea servandi, quae a rubricis indicantur, certissimum puto proindeque lethaliter eos peccare, qui in rubricis contenta exequi negligunt, nisi aut materiae parvitas aut inadvertentia a culpa mortali excuset. Quae autem materia levis aut quae gravis censenda sit, ex peculiaribus facti circumstantiis conjicere oportet;

nam idem, exempli gratia, verborum numerus, si omittatur in canone, culpam gravem, si vero omittatur in introitu, culpam levem constituit. Rursus si quis aliquid adjiceret vel praeteriret, quamvis leve, sed hoc faceret animo inducendum novum Ritu, lethaliter peccaret. Multa ei similia addi possent, nisi ad singula descendere temporis angustia locique majestas prohiberet; nec sane ea, quae obvia occurrunt inquirere, aut iis, quae perspicua sunt, lucem addere necesse arbitror.

Duo sunt, quibus se tueri conantur ii, qui sacris rubricis neglectis excusant a peccatis. Primum: rubricas directivas, non autem praeceptivas dicunt. Alterum: contraria consuetudine abrogari.

Verum cum summi Pontifices constitutionibus supra laudatis rubricas servari praeceperint, vanum prorsus videtur hoc ad consilium non autem ad praeceptum referre, quod si semel admitteretur, de legem robore de apostolicarum majestate actum omnino esset.

Quo vero consuetudines spectat, quas adeo frequenter jactant illi, qui contra Augustini monitum defectuosum atque obliquum ad rectum non dirigunt, sed potius quod rectum et regula est ad obliquum deflectere cupiunt, ea ratione moventur, quod consuetudo utpote lex non scripta rubricis derogaverit.

Facile tamen ostendi potest, quidquid contra rubricas agitur, non inter legitimas consuetudines sed potius inter damnabiles abusus referendum. Ut enim consuetudo vim legis habeat, oportet ut sit rationabilis et communi bono conveniens. Si autem bono communi adversetur vel etiam si sit indifferens, numquam per illam lex abrogatur; ideo namque, ut praeclare

*An citra contemptum et ex pravo habitu liceat in administratione Sacramentorum praeterire sine peccato mortali sacras caeremonias?*

Omissio Caeremoniarum, etiam sine contemptu, est lethale peccatum ex suo genere; quia praeceptum religionis ad eas observandas, non utcumque, sed sub poena peccati mortalis obligat.

Haec omissio dicitur *lethalis ex suo genere, id est quatenus refertur ad suum objectum, quod grave est*. Licet igitur Caeremoniae omissio per accidens venialis esse possit, in *levi* nempe materia, semper tamen in materia *gravi lethalis est*, si excipias necessitatis casum, in quo vel unum vel plures Caeremonias praetermittere et fas est et necesse est, v. g. cum baptizandus est infans, qui mox moriturus non temere creditur.

Secluso igitur *necessitatis casu* hujusmodi Caeremoniae omitti nequeant sine peccato eoque lethali, etiamsi absit contemptus. Hinc s. Thomas 2. 2. quaest. 1. ad 3. „*dicendum, inquit, quod diversae consuetudines Ecclesiae in cultu divino in nullo veritati repugnant, ideoque sunt servandae et eas praeterire illicitum est.*“ Haec vir santus.

Caeremoniarum observandarum necessitatem saltem ex Ecclesia praecepto sacerdotibus impositam esse negari non potest, ideoque nemo sine flagitio praetermittere potest.

Hanc rem luculenter explicat Franciscus Suarez, non ultimus Societatis suae Theologus, tom. 2. disput. 84. sect. 1., ubi ait: hos Ritus, licet ab Apostolis ipsis non omnes institutos sed ab Ecclesia, fundari tamen omnes in his verbis Apostoli 1. Corinth. c. 14.: *omnia honeste et secundum ordinem fiant*, et ideo oportet, in his omnibus, etiam minutissimis, certum ordinem

docet Angelicus\*), lex abrogatur consuetudine, quia imperfectis aliquid additur perfectionis pro hominum et temporis variis conditionibus, verba sunt s. Doctoris, et sic, donec manet eadem ratio, non consuetudo legem sed lex vincit consuetudinem: impossibile autem est sacros Ritus ab Ecclesia receptos privata auctoritate in melius commutari. Iis addendum, quod Summi Pontifices consuetudines sacris Rubricis contrarias relatis Constitutionibus abrogarunt et districte insuper prohibuerunt, quidquid adversus Rubricas in posterum induci contigisset, quod decreto irritanti ab auctoribus aequiparatur.

Ea autem vis in decreto irritanti est, ut semper obsistat initio contrariae consuetudinis eamque prorsus inficiat.

Cum ergo de rei dignitate, de legum dispositione dubitari minime possit, nec ullum praesidium in consuetudine haberi valeat, consequi plane videtur, quod seclusa aut inadvertentia aut parvitate materiae sacros Ritus negligere ex genere suo lethale sit.

Plurimum itaque utilitatis accessurum arbitror, si sac. haec Synodus praeter caeteras saluberrimas leges illud etiam statuatur, quod Episcopi pastoralis sollicitudine incumbant, ut sacri Ritus, qua decet diligentia ac religione, serventur et contrarii abusus, si forte irreperint, radicitus evellantur, quod facile consequi poterunt, si, quemadmodum olim Concilium Bracharense decrevit, per dioeceses ambulantes primum exquirant quomodo in singulis Ecclesiis sacra peragantur.

Haec, Rme Pater, ne injuncto muneri pro virium mearum imbecillitate deessem, infallibili Sanctitatis Vestrae iudicio humillime subjicienda duxi.

\*) P. 2. qu. 97. art. 1.



ab Ecclesia constitui, tum quia, si haec relinqueretur uniuscujusque arbitrio, multa indecore et imprudenter fierent, tum quia Ecclesia censuit, in tam alto et sacro ministerio nihil esse leve existimandum, quominus maxima decentia et gravitate fiat. Huc facit illud Martyris Cypriani in expositione orationis dominicae: *placendum divinis oculis, etiam in habitu corporis*. Denique haec uniformitas, quae in omnibus servatur, ad splendorem officii ecclesiastici pertinet, unitatem Ecclesiae custodit pastorumque ejus curam et sollicitudinem commendat.

Idem Suarez tom. 3. disp. 83. sect. 3. et disp. 84. sect. 2. hanc materiam ex Missali et Trident. Concilio accurate pertractat, et ex eo Bonus Merbesius in Summa Christiana tom. 2. pag. 463. 464.

Quisquis autem *habituali* mentis supinitate et torpore sacros ritus et caeremonias discere vel observare vel attendere seu animo volutare negligit, tum in materia *gravi* tum *levi*, generatim loquendo, peccat *lethaliter*.

1. Quia talis negligentia contemptus est indirectus et virtualis, ut ita dicam.

2. Quia homo ille, qualiscumque sit, sese in periculum conjicit spissos et continuos errores eosque gravissimos admittendi.

Ex his constat, quam vere s. Thomas *pestiferum* esse dixerit praeterire caeremonias divina auctoritate ab Ecclesia constitutas; sic enim loquitur 2. 2. q. 93. art. 1. supra citato: „ad secundum dicendum est, quod ante tempus legis justis per interiorum instinctum instruebantur de modo colendi Deum, quos alii sequebantur. Postmodum vero exterioribus praeceptis circa hoc homines sunt instructi, quae praeterire *pestiferum* est.“ Ita s. Thomas. Quod vero *pestiferum* est, utique *lethale* est.

*Ita censet Justus Fontaninus Abbas Sextensis, Sanctae Sedi apost. nullo medio subjectus.*

Romae hac die 28. Aprilis 1725.

*Decretum Concilii Romani.*

Cum invisibilia Dei per religionis ac pietatis signa, quae caeremoniarum nomine censentur, intellecta conspiciantur, pastoralis nostri muneris curam ad hoc intendimus et ab omnibus fieri volumus et mandamus, ut in Sacramentorum administratione, in missis et divinis officiis celebrandis aliisque ecclesiasticis functionibus ob-eundis, non pro libito inventi et irrationabiliter inducti sed recepti et approbati Ecclesiae Catholicae Ritus, qui in minimis etiam, sine peccato negligi, omitti vel mutari haud possunt peculiari studio ac diligentia serventur. Quamobrem Episcopis districto praecipimus, ut contraria omnia, quae in Ecclesiis seu saecularibus seu regularibus (iis exceptis, qui proprio vel rituali vel missali vel breviario utuntur a sancta Sede probato) contra praescriptum Pontificalis romani et Caeremonialis Episcoporum vel rubricas missalis, breviarii et ritualis irrepisse compererint, detestabiles tamquam abusus et corruptelas, prohibeant et omnino studeant removere, quamvis non obstante interposita appellatione vel immemorabili allegata consuetudine; cum non quod fit, sed quod fieri debet, sit attendendum, et regula est, non cantari, nisi quod legitur esse cantandum. (*D. Aug. in suis regulis.*)

*Epistola S. Congreg. Concilii.*

Franciscus Ferrerius Abbas Commendatarius s. Jacobi de Bessia, Emi ac Rmi DD. Hyacinthi miseratione divina tit. s. Caeciliae S. R. E. Presbyteri Cardinalis Gerdil, Sacrae Indicis Congreg. Praefecti, Abbatis inclytae

Abbatiae s. Michaelis de Clusa Nullius s. Sedi apostolicae immediate subjectae capitique ord. s. Benedicti, Vicarius gen., universae Abbatiae Clero.

Eminentissimus Cardinalis Hyacinthus Gerdil, quum Abbatiae s. Michaelis de Clusa sibi fauste feliciterque commissae statum S. C. C. Tridentini, quod tertio quoque anno fieri leges jubent, novissime proponeret, praeter pauca controversa jura, rationes etiam deferendas censuit propter quas nonnulli Ecclesiae quaedam instituta in sacris faciendis sive privatis sive solemnibus negligunt. Quibus rationibus diligenter excussis Eminentissimi Patres sic responderunt:

Eme et Rme Domine Obme.

Incomperta minime erat S. C. Tridentinorum Canonum interpretationi praepositae eximia regiminis ratio, quae res Ecclesiae s. Michaelis de Clusa ordinis s. Benedicti Nullius dioecesis in subalpinis moderantur; quum enim Ecclesiae praesit Eminentia tua, quae locum inter Patres tenet, et quidem virtutum commendatione ac responsorum gravitate amplissimum, nulla inesse poterat dubitatio, quin in regendo grege tuae fidei credito illud adhiberi curet doctrinae, prudentiae atque ecclesiasticae disciplinae lumen, quod et constans austerioris tuae generis et studiorum ratio et ingenii nunquam intermissae exercitationes praeseferunt praeclarissimum; gratum tamen ac jucundum universo Patrum ordini accidit idipsum nunc fuisse comprobatum literis, quibus de more ac diligenter Ecclesiae praedictae status Sacrae Congregationi relatus fuit. Nihil in earum literarum recitatione est deprehensum, quod desiderium sedulitatis tuae relinquat pluraque novata fuere ad religionis cultum utiliter sapienterque nunc primum composita. Harum abs dubio habenda numero

Decreta authentica. Tom. III.

parochi assignatio Ecclesiae s. Mariae Magdalenae in montibus Javeni facta, e qua rudis populus religione jam ita profecit, ut veterum christianorum referat imaginem, et erectio montis pietatis in urbe Cariniani, de quo novo pauperum subsidio sicut Emi Patres laetantur quam maxime, ita de tua vigilantia non dubitant, ut ad formam constit. s. m. Leonis X.: *Inter multiplices*, S. C. Trident. sess. 22. cap. 8 et 9. de reform. et servata concordiae lege omnia recte sint constituta.

Ad retinendam vero augendamque universi populi tuae fidei creditam pietatem, jam novit Eminentia tua, quantum conducat divinorum officiorum celebratio ita in singulis Ecclesiis juris tui habenda, ut nihil a Ritibus s. romanae Sedis, nihil a Rituali romano, Caeremoniali Episcoporum, Missali et Breviario sit dissonum; quae omnis cura adhibenda ad abusus, si qui irrepererint, ut in relatione tua diligenter additur, eliminandos, non obstante quavis consuetudine etiam immemorabili, quatenus aut non satis probari aut ut irrationabilem de jure suffragari non posse cognoverit.

Quae de seminario, theologicis institutionibus censu, ac bibliotheca a te aucta recitata sunt, singularem in modum probarunt Patres ac liberalitatem non minus quam sapientiam tuam, ut par erat, maximique commendarent.

Quum vero seminariorum institutionem ea potissimum de causa in Ecclesiam invexerint majores nostri ac sacri Canones sanciverint, ut Clerici ad ecclesiastica munera recte utiliterque obeunda divinarum literarum studio fiant idonei, Patres Eminentiam tuam rogandam censuerunt ne seminarium alumnos a literarum exercitationibus ullo modo in posterum feras abduci, ut sacris Ecclesiae functionibus intersint nisi festis diebus aliis-



que, quibus publicae supplicationes sunt habendae.

Consuetudo, quae una a Capitulo attenditur, re mature perpensa sanctionibus tridentinis minime respondet nec disciplinam invertit a Sac. Congregatione receptam atque probata; quapropter posthabita fuit ac omnino tollendam Patres censuerunt recte memores, quod usum non absimilem quoad duos tantum seminarii Clericos non servandum in causa Alben. Sacrorum Rituum et regiminis Ecclesiae, ad dubium XIV. 18. Julii anno 1710 fuerit definitum.

In hanc vero sententiam eo etiam promptius est, quo certius patuit, cl. me. Card. Cavalchini olim praedecessorem tuum a diurno collegiatae Ecclesiae s. Laurentii servitio seminarii alumnos liberos omnino voluisse, nullamque ea de re in fundatione adesse posse ordinationem, quum seminarium Ecclesiae collegiatae erectionem longe antecesserit.

Tridentinis sanctionibus sapientissime latis, ut intra annum dioecesis lustratio Synodique convocatio contingat, in tam praeclaro rerum omnium regimine minime deesse jure ac merito sperat S. Congregatio.

Haec a S. Congregatione ad Eminentiam tuam scribenda accepi; ad me quod attinet, quum nulli in suscipienda doctrina virtuteque tuo tot nominibus cumulatissima concedam, studia consiliaque mea, quae Ecclesiae dignitatisque tuae vel decus vel commodum sint allatura, sponte lubensque Eminentiae tuae polliceor ac defero.

Romae 3. Dec. 1784.

Eminentiae tuae humillimus et add. serv.

Card. Pallavicinus.

Carrara Secret.

(Anal. J. P. 1855 p. 1033 etc.)

#### 16) Sacerdos intelligere debet.

Salernitana.

Claudius Ursus sacerdos Salernitanus exposuit, se, dum quaedam die celebraret incipiendo in fine missae, ut moris est, evangelium s. Joannis, superveniente ex abrupto Cardinali s. Severinae olim Archiepiscopo Salernitano, ante oculos celebrantis, tanto timore perterritum et correptum fuisse, ut nunquam ex illa hora potuerit in missa proferre dictum evangelium s. Joannis, sed loco ipsius quotidie in fine missae recitasse aliud evangelium sibi benevisum; supplicans ignosci ob temeritatem incursum et dispensari posthac ad commutandum dictum evangelium s. Joannis in aliud arbitrio hujus Sacrae Congregationis, quae mandavit scribi Emo Sabello, Archiepiscopo Salernitano, ut oratorem suspendat a celebratione missarum, donec potuerit proferre evangelium s. Joannis.

Die 5. Julii 1631.

(Anal. J. P. 1863 p. 239.)

In ordinariis Comitibus S. R. C. relatis precibus nomine Amplitudinis tuae, Redme Domine, requirentis missam vot. quotidie celebrandam a rudi imperitioque Sacerdote dioecesis tuae Bovinens., PP. S. C. concordem in voto fuere, quod Amplitudini tuae scriberetur, ut Sacerdotem eundem imperitum omnino suspensas donec instructus appareat ad rite celebrandum, scandalo secluso.

n. 4846 die 23. Febr. 1839.

Vd.: *Missa* (ritus etc., decr. de die 16. Jan. 1649); *Ritus* (in Seminario etc.); *Instr. Cl.* §. XXXVI. n. 18 et 21 etc.; *Ritus missae*.

Ne Sacerdotes ritus alios aut alias caeremonias et preces in missarum celebratione adhibeant, praeter eas,

quae ab Ecclesia probatae ac frequenti et laudabili usu receptae fuerint.

*Conc. Trid. Sess. 22. De observ. et evit. in celebr. miss.*

Sacerdotes intelligant, quibus precibus uti, quos ritus quasve caeremonias in missarum celebratione retinere debeant.

*Bulla s. Pii V. 13. Julii 1570.*

#### 17) In Seminario exercendus.

(Ex Const. Gregorii XIII. pro Colleg. germanico edita die 1. Aprilis 1584 n. 10. 21.)

*Cum autumnii tempore Alumni a lectionibus vacant, tum maxime in divinis officiis perdiscendis et cantandis, ut Superioribus videbitur, sese exercent; in quo tamen ne remissius aut indulgentius agatur, rectoris conscientiam oneramus. Eo quoque tempore aut alio, cum studia intermittuntur, ea doceri curent, quae celebrandi missae sacrificio sunt accomodata, praesertim hostias et corporalia parare diebusque festis nulla umquam literaria exercitatio aut divinum officium aut ecclesiarum curam quomolibet interrumpat seu impediatur; beneficiorum in Collegium a Dei benignitate collatorum memoriam pie colant, memoresque sint bene de Collegio praedicto et de se meritorum et superiorum praecipue defunctorum, quorum nomina in ecclesiarum suarum sacrario aut in choro descripta habebunt; proque iis, qui majore fuerint in se sui beneficentia anniversaria sacra perpetuo solemniter fiant, singulisque hebdomadis pro illis orationes et sacrificia Deo offerantur.*

*Maxima quoque habeatur cura ecclesiarum divinusque in illis cultus ac ornatus religiosissime conservetur, utque sacerdotes a Superioribus eligantur, qui in illis semper resideant*

ac, ut debebunt, missas et divina officia celebrent, ipsique Superiores, pro honore Dei, ecclesiis praedictis liberaliter, quidquid opus erit, provideant cultumque in eis exhibeant, ut earum redditus primum illis ipsis ecclesiis serviant. Divinorum officiorum tempore nullus alumnus absit sacerdotesque viri pii et graves choro praesint sacrarumque caeremoniarum magistri sint divini officii moderatores. Si quis autem ex alumnis indignum quid orationis domo aut inhonestum dicto vel facto, nutu vel aspectu minus honeste commiserit, confestim e Collegio dimittatur, si quis etiam sacras caeremonias discere vel exercere neglexerit aut ab ecclesiasticis et clericalibus officiis alienus fuerit vel templum et chorum fugitet, nisi monitus resipuerit, in collegio non tolleretur.

#### 18) Sinarum (Chinarum).

*De permissis vel denegatis ritibus et caeremoniis in imperio S(Ch)inarum* vd.: Constit. Clem. XI. diei 19. Mart. 1715 in Bull. r. t. VIII. p. 155 ed. Luxbg., et diei 26. Mart. 1693 (*ibid.* p. 387 — 395) et diei 25. Septbr. 1710 (*ibid.* p. 398); vd. etiam confirmationem hujus Constit. Clem. XI. per Constit. Bened. XIV. diei 11. Jul. 1742 (*ibid.* t. XVI. p. 105 — 114); Constit. Benedicti XIV. diei 19. Decbr. 1744 (*ibid.* p. 267).

#### 19) Slavo - Latinus.

*Benedictus PP. XIV.*

*Ex pastoralis munere, quo romani Pontifices Catholicae praesunt Ecclesiae eamque moderantur, consueverunt Praedecessores Nostri vigilem navare curam, ut in Sacris peragendis suisque unaquaque natio legitime in vectos Ritus religiose custodiat ejusque idiomatis uniformitatem retineat, quos illius respective majores in missae Sacrificio divinisque officiis usi dignoscuntur, prohibentes ne quid in prisca lingua, vulgaribus licet dicendi formu-*



lis immutata, deflectatur omnemque adhibentes operam, ut abusus procedentibus temporibus inolescentes eradicarent.

§. 1. Cum itaque ex fide dignorum testimonio acceperimus, in ritum Slavo-Latinum, quem fel. rec. Praedecessor Noster Joannes Papa VIII. fidei ac religiosae nationi Illyricae una cum idiomate, quod nunc Slavum litterale appellant, et characteribus, quos Hieronymianos dicunt, adhibendum concessit, et successivis temporibus recol. memor. Praedecessores pariter Nostri Urbanus VIII. et Innocentius X., dum Missale et Breviarium eodem idiomate et characteribus excudenda typis traderentur, iteratis vicibus confirmarunt, nonnullos irrepere abusus apost. Sedis intentionibus institutisque contrarios, perniciosam aliquorum libertatem, qui audent missas, insertis orationibus et precibus Slavo vulgari sermone conscriptis, componere, initium quoque evangelii secundum Joannem et psalmum Lavabo eadem vulgari lingua latinisque characteribus impressa nulla desuper a Nobis facultate et approbatione praeebentia sibi aliisque Sacerdotibus legenda proponere; idcirco ne hujusmodi abusus, qui eundem ritum miscere ac turbare facile posset, latius progrediatur, postquam aliis Nostris editis Constitutionibus, nimirum quinquagesima septima, cui initium: *Etsi pastoralis* \*), et octogesima septima, incipiente: *Demandatam coelitus* \*\*). graecorum rituum conservationi et integritati pro Italo-Graecorum et Graeco-Melchitarum nationibus abunde providimus; eandem nunc sollicitudinis Nostrae curam ad Illyricam nationem convertentes suprema, qua fungimur, apost. auctoritate, volumus,

\*) t. III. p. 243.

\*\*) Bull. r. t. XVI. p. 94 et 166. t. III. p. 290.

praecipimus atque mandamus, ut Ecclesiastici omnes et Sacerdotes tam saeculares quam cujuscumque ordinis aut instituti regulares, qui ritum Slavo-Latinum profitentur, in augusto altaris Sacrificio et in horis canonicis aliisque divinis officiis persolvendis ac obeundis Missalia, Tabellas et Breviaria characteribus Hieronymianis impressa typis Congregationis Propagandae Fidei, quaeque imposterum ibidem imprimuntur, non sine praeviis opportunis revisionibus et approbationibus aliisque diligentibus hucusque adhibitis et deinceps adhibendis a viris et Slavo-Latinum idioma ac Hieronymianos characteres apprime callentibus, quemadmodum per plura anteacta saecula ab Illyrico Clero servatum studiose fuit, ita deinceps omnino adhibere debeant et teneantur, utque in posterum nemo ex praedicto Clero in Missis celebrandis aut in divinis officiis persolvendis orationes et preces, quae Nostra et apost. Sedis auctoritate examinatae non fuerint et approbatae, recitare aut quoquo modo adhibere audeat seu praesumat.

§. 2. Quocirca VV. Fratribus Nostris Archiepiscopis et Episcopis, in quorum dioecesibus ritus Slavo-Latinus viget, committimus atque injungimus, ut pro zelo et sollicitudine, qua tenentur concreditibus sibi ovibus praeesse et Sacrorum Ecclesiae Rituum integritati advigilare, sedulam exactamque hujusque Nostrae voluntatis ac districti praecepti executionem curent atque urgeant ac novitates omnes irreptosque quoslibet abusus eliminant, adhibitis efficacioribus remediis a Sacris Canonibus in perveraces et refractarios indictis; similia vero successivis temporibus attentari minime patiantur.

§. 3. Decernentes has Nostras literas et in eis contenta hujusmodi semper et perpetuo firma, valida et efficacia

existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere.

*Constit. Bened. XIV. die 17. Aug. 1754.*

(Bull. r. t. XIX. p. 112.)

#### 20) Syriacus.

Vd.: *Ritus graecus* (praecip. Constit. Benedicti XIV.: *Allatae diei 26. Julii 1755*).

### ROCCHETTUM.

#### 1) Abbatis.

Abbati Ord. s. Benedicti non convenire usum rocchetti.

n. 636 ad 2 die 6. Jun. 1626.

Abbati Canonorum *Regul. Later.* cum rocchetto et mantelletta tantum in Vesperis solemnibus in Ecclesia s. Mariae in Porto assistere licet.

n. 2597 die 3. Sept. 1672.

#### 2) Abbatis saecul.

Turritana.

Proposito in Congregatione S. R. supradicto supplici libello, eadem S. R. Congregatio censuit modernum Abbatem saecularem posse uti rocchetto loco superpellicei, in casibus, in quibus regularis jam utebatur superpelliceo. Die 23. Jan. 1621.

(Anal. J. P. 1863 p. 162.)

#### 3) Archiepiscopi.

Cf.: *Mozzetta*.

Archiepiscopus uti potest et debet rocchetto *discooperto*, quandocumque voluerit, excepto, quando simul cum Nuntio Sedis ap. iter habebit vel ad eum invisendum accedit.

n. 44 ad 1 et 2 die 16. Febr. 1593.

*De rocchetto Archiep. in visitatione publ. et priv.*, vd.: *Praeses* (cap. I. et II.).

#### 4) Archiepiscopi Regularis.

*Ad dubium*: An Archiepisc. Turritanus regularis et Ord. s. Augustini possit uti rocchetto violaceo? S. C. resp.: Negative.

Vd.: *Regul. Episcop.* (habitus).

#### 5) Canonicorum Cath. et Colleg.

Vd.: *Cappa Canonicorum Cath.* (praecipue decr. n. 4536, 4946); *Mozzetta Canon. Cath.*; *Canonici* (administr. Sacramentor.); *Process.* (Canon. Cath. et Colleg. par.; Clerus infer. parat.).

#### Maceraten.

Regulari observantiae insistens Canonicus Fiorentini civitatis Maceraten., ne in minimo quidem remittatur studium ecclesiasticae disciplinae, quae semper inviolabiliter et accurate servanda est, S. R. C. sequentia dubia enodanda proposuit nimirum:

1. Utrum Canonicus, qui per apostolicas literas in forma Brevis expeditas favore sui Collegii Canonicorum gaudet usu rocchetti et mozzettae etiam coram Pontifice, illis uti valeat in Sacramentorum administratione et verbum Dei annunciando?

2. Et quatenus negative, utrum superpelliceum rocchetto imponere valeat iisdem in functionibus?

Et S. eadem Congreg. ad Vaticanum sub infrascripta die coadunata in ordinario coetu, dubiorum relatione audita ab infrascripto Secretario facta, omnibus mature perpensis, respondendum censuit

Ad 1.: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, sed in propria tantum Ecclesia vel in aliis Ecclesiis, ubi adest usus deferendi cappam vel mozzettam juxta decretum in una dubiorum diei 31. Maii 1817.

Ad 2.: Affirmative, si Capitulum in choro utatur superpelliceo tempore aestivo, secus negative juxta prae-